

DE SEMINARIO DIOECESANO RECENTIORA QUAEDAM QUAESITA

INTRODUCTIO

Huius relationis proponendae¹ occasio fuit et causa quaestio saepius ultimis temporibus a iunioribus posita, qui ad sacerdotium exercendum sese a Deo vocati videbantur at incerti remanebant ob seminarii formationem et eius vitam internam deficientem.

Ponebantur plures quaestiones:

1. Estne vocatio ad sacerdotium et ministerium paroeciale in dioecesi propria, originis vel domicilii, sequenda et servanda?

2. Adscriptio seu incardinatio fitne libere in dioecesi a candidato electa?

3. In quonam seminario peragenda est formatio, quae vocationi respondeat et ad sacerdotium exercendum melior et aptior sit praeparatio?

4. Suntne iuniores in associationibus sic dictis «communitates» vel «motus ecclesiales», seria iam spirituali formatione praevia educati et apostolica activitate roborati, in unum collegium coadunandi?

5. Si iuniores, iam alicuius associationis sodales, in dioecesanum ingrediantur seminarium, quomodo in eo obtinent vitae personalis unitatem et doctrinae profundiorum cognitionem?

¹ Relatio in XXVII Colloquio Iuris Canonici Facultatis Universitatis Gregorianaе Brixiae diebus 1-5. VII. 1992 celebrato facta.

6. Estne in seminario dioecesano ipsius dioeceseos propria spiritualitas?

7. Estne in posterum adscriptio seu incardinatio in associatione vel motu ecclesiali fovenda et obtinenda?

8. Estne in codice vigenti vita spiritualis presbyteri exposita? Suntne in eo assumpta, quae in Concilio sunt proposita? Habeturne in recenti Synodo Episcoporum de formatione presbyterorum in hac materia ulterior consideratio?

Ex ipsa hac reflexione exsurgunt etiam alia quae sita considerata et solvenda:

1. Estne sacerdotalis vita in vita consecrata monastica vel apostolatus operibus dedita melius intelligenda, strictius aptanda et denuo affirmanda et promovenda?

2. Estne in ordinatione sacerdotali recipienda vel recepta aliqua consecratio vitae Deo facta per consilia evangelica assumenda vel exprimenda, ut ipsius sacerdotii exigentia?

3. Estne nova seminarii dioecesani figura prospicienda?

A. His quaestionibus breviter nobis est hic respondendum:

I

Estne vocatio ad sacerdotium dioecesanum in propria dioecesi sequenda et servanda?

Facti species hic sunt recolendae:

1. Erat iuvenis quidam qui, ob vitam per annum, uti dicitur «sabbaticum» peractam, in aliqua «schola vitae spiritualis» de sua vocatione ad sacerdotium se-

quenda cum dioeceseos eius Episcopo colloquens, non iam voluit in seminarium dioecesanum ingredi. Quid erat ei faciendum?

2. Rationes huius impedimenti erant sequentes: seminarii vita et spiritus propriae eius vocationi non correspondent ob vigentem mentalitatem, doctrinae debilitatem, inter magistros et iuniores deficientem unitatem, immo ob spiritualis vitae candidatorum ad sacerdotium negligentiam.

3. Qui candidatus cum Episcopo colloquens ei proposuit ut studia theologica saltem initialia in seminario aliquo «super-dioecesano» inciperet; quod seminarium cognoscitur et laudatur ob spiritus et doctrinae serietatem. Quod Episcopus recusavit. Talia semina in pluribus nationibus non tantum ut talia sunt cognita sed, numero crescente eorum alumnorum, melius designantur. Iam silentio non absconduntur talia semina, quae non omnia unius sunt dioecesos sed etiam nunc internationalia vel interdioecesana vocantur.

4. His factis iam recensitis, quaestio iuvenum nunc est nobis considerata. Vocatio ad sacerdotium est praeprimis *divina electio*. Qui sese a Deo vocatum agnoscit, ad propriam vocationem sequendam viam eligit propriam et quidem libere ut huic dono gratiae melius correspondeat et in dioecesi vitam sacerdotalem exercere valeat ad quam sese divinitus vocatum existimet.

Praeter elementa personalia, in vocatione saepius alia etiam considerata sunt, sive de loco eligendo, sive de fidelibus quibus quis adiutorio esse velit etiam alterius linguae, culturae, regionis et continentis.

Et ad sequentem quaestionem tractandam adducimur:

II

Estne libera candidati adscriptio seu incardinatio in dioecesi ab eo electa?

Incardinatio vi iuris (cc. 265-272) non ratione loci originis vel commorationis est facienda. Vocatio praeprimis est ad sacerdotium Christi exercendum divina. Quod sacerdotium non tantum officio exercetur sed propria in vita etiam assumitur.

Est vocatio de se universalis, cum sit sacerdotium Christi exercendum. Quae tamen ob varias causas et rationes diversificatur vel in instituto religioso, vel in instituto saeculari vel in societate sacerdotali aut missionaria²; hodie saepius in motu ecclesiali aliaque associatione assumpti sunt a Deo vocati quin in his coetibus proprium sacerdotale ministerium exercent.

Electio dioeceseos, ut recte fiat, ad specificam et personalem vocationem pertinet. Distinguntur insuper inter sacerdotes alii monachi, alii apostolatus ope-

² Societates «missionariae» non semper consilia evangelica expresse profitentur. Qua de causa, si sunt «societates vitae apostolicae» in codice latino nominatae (cc. 731-745), non necessario sunt extra instituta vitae consecratae considerata. In codice canonum Ecclesiarum Orientalium (CCEO) sapienter facta est distinctio inter societates qui vitam consecratam assumunt (cc. 554-562) et aliae quae hoc non faciunt (c. 572). Quae ultimae hodie de propria vita et identitate solvendas habent quaestiones. Qua de causa in CCEO sub generali quodam titulo: «De aliis formis vitae consecratae atque de societatibus vitae apostolicae» reponuntur et unico canone 572 recoluntur. In versione gallica codicis I.C. verbum «accedunt» aut errore aut polemicè translaturum est: «à côté». Sensus verbi exacte traducendum est ut «quae similitudine prope sunt». Aliquando claritas erit facienda et hae societates, si non vitae consecratae, potius reponendae erunt inter associationes clericales.

ribus dediti, alii dioecesani in dioecesi in qua incardinati vel adscripti sunt.

Quae incardinatio in dioecesi est discernenda, alia quae fiat vocatione divina admissa et recognita, alia prudenter electa ob varias quidem causas spirituales vel apostolicas iuxta aptitudinem candidati vel qualitatem seminarii.

Recolenda utiliter hic est vehemens sed feliciter superata disputatio inter duos in Gallia auctores habita qua, initio huius saeculi, unus dicebat vocationem esse «Episcopi vocantis» — L'appel de l'Evêque — alter esse Dei, quae ab Episcopo ulterius recognoscitur, immo recipitur pro numero candidatorum et modo quos Episcopus admittere, sustinere, in ministerio assumere et oeconomice remunerari possit³. Unde clare paulatim admissum est vocatio ab Episcopo de se non esse vocatio genuina, divina sed talis potius

³ Auctores fuerunt L. BRANCHEREAU, *La vocation sacerdotale*, Lutetiae Parisiorum, 1896, et J. LAHITTON, *La vocation sacerdotale. Traité théorique et pratique*, Lutetiae Parisiorum 1909¹; 1913². Vide insuper J. LAHITTON, *Deux conceptions divergentes de la vocation sacerdotale. Exposé, controverse, conséquences pratiques*, Lutetiae Parisiorum 1910. Ulteriora studia hic sunt recolenda: L. SEMPÉ, *En marge du nouveau livre de M. Lahitton sur la vocation sacerdotale*, Toulouse 1911, et J. DE GUIBERT, *Vie sacerdotale, Vie religieuse et Perfection. Comment se pose la question?*, in *Revue d'Ascétique et de mystique*, Toulouse 18 (1935) 231-251; 281-397. De hac controversia habetur a Commissione Cardinalium a Pio X constituta decretum quod a Summo Pontifice est approbatum (AAS 4 1912 485). At evolutio doctrinae postea semper melius distinguit *vocationem divinam* ut fundamentalem et *approbationem* a superioribus ecclesiasticis, Episcopis vel Moderatoribus religiosis, necessariam ut quis admittatur in seminarium vel institutum religiosum. Quae approbatio est recte consideranda ut recognitio talis vocationis divinae. Cfr. Const. Apost. *Sedes Sapientiae* a Pio XII data (AAS 48 1956 357-358).

vocationis recognitio et candidati in proprio clero admissio⁴. Quos unus Episcopus non poterat assumere, alius Episcopus dioecesanus in suo clero assumere poterit. Quod in variis regionibus fiebat, cum tot erant in quibusdam dioecesibus vocationes ad sacerdotium dioecesanum seu saeculare⁵.

III

In quonam seminario peraganda est formatio quae vocationi respondeat et ad sacerdotium exercendum melior et aptior sit praeparatio?

Ex dictis apparet electio seminarii non ob locale domicilium esse facienda. Fiat praeprimis ratione vocationis divinae. Estne electio seminarii ab Episcopo loci antecederet recognoscenda vel admittenda? Negative respondetur, nam eo ipso quod quis candidatus in aliquo recipiatur seminario, quo candidati ad ministerium sacerdotale parantur, hoc fieri potest, etiam approbante Superiore competente, qui de se non necessario episcopalis sit ordinis.

Cum adscriptio candidati, in dioecesi vel instituto

⁴ Quae admissio ab Episcopo fieri non potest nisi post tempus probationis et discernendo quae sunt vocationis divinae certa indicia. Quod ultimatum fiat ante admissionem ad diaconatum.

⁵ Ex eo quod candidatus in una dioecesi non recipitur, non statui potest eum non vocari a Deo. Qui ad sacerdotium vocatur, uti videbimus, non dioeceseos conditionibus etiam materialibus ligatur; immo in motu vel associatione ecclesiali assumptus facilius etiam in aliqua dioecesi proprium obtinet suum ministerium, conventionem factam cum Episcopo dioecesano. Unde apparet vocatio ad sacerdotium saeculare vel dioecesanum non ratione dioeceseos originis determinari, sed ob propriam candidati electionem iuxta spirituum motiones agnoscendam.

ordinationem ad diaconatum peragatur, praevia spiritualis et doctrinalis formatio recte praeponi potest quae postea ab Episcopo incardinationis vel Superiore admittente approbanda erit. Quae approbatio, uti patet, etiam in qualitate seminarii fundatur. Quod seminarium erit vel alicuius dioeceseos⁶ vel interdioecesanum⁷ vel, pro modo suo, supra-dioecesanum seu internationale⁸.

Incardinatio seu adscriptio, sicut et omnis formatio praevidenda et obtinenda est ut sacerdotale ministerium recte exerceatur et servitium Populi Dei melius assecuretur.

Quae omnia saepius cum lingua, cultura, loci determinatione sunt coniuncta sed hodie criteria haec non iam primarie vel stricte sunt applicanda ob necessitatem plurium dioecesium obtinendi candidatos ad servitium ministeriale, praeprimis sacerdotale, exercendum.

⁶ Citari potest v.g. «Schola cathedralis» Lutetiae Parisiorum ad quam scholam conveniunt candidati ad sacerdotium numero semper maiores. Quo in seminario instauratum est «annum propaedeuticum» quo ante studia philosophica et theologica dantur praeprimis spiritualis formatio et generalis de vocatione et ministerio sacerdotali doctrinae expositio. Qui, ibi incardinantur, ad alias Ecclesias particulares adjuvandas ad tempus vel ad vitam destinantur, saepius in dioecesi originis vel domicilii propria.

⁷ Interdioecesanum est plurium dioecesium commune seminarium, quod non faciliter uno spiritu, una directione gaudet. Videtur saepius solutio necessitatis quam aptatae formationis.

⁸ Quae semina vel qualitate vel auctoritate morali Episcopi eo deveniunt ut plures candidati ibi conveniant, saepius approbante iam Episcopo futurae incardinationis. Exemplo sit hodiernum seminarium in civitate Ars sat recenter erectum, ubi Sanctus Joannes Maria Vianney inspirator remanet vitae sacerdotalis in paroeciis sancte peragenda. De se seminarium est dioecesanum pleno sensu, etsi candidati sunt variis e dioecesibus libere coadunati.

Hac in materia non sunt reticendae plures difficultates quae saepius in seminario communi pluribus dioecesis, quantum fieri potest, superandae sunt.

Si plures necessario habentur professores qui non ex una eademque dioecesi oriundi sunt, inter eos haberi possunt diversitates quibus difficilius mens communis formationis et studiorum acquiri et retineri possit. In omni seminario intradioecesano vel regionali haec saepius habentur difficultates. Quam ob causam multi professores, ad studia sacerdotalia fovenda praeparati, in dioecesanis seminariis non iam invitantur vel retinentur⁹.

Non minor aliquando habetur difficultas in seminarii conductione et directione. In seminario dioecesano directio habetur ultima, quae est proprii Episcopi. Si coadunantur seminaria, saepius deficit vera directio et plena responsabilitas quae vix pluribus ab Episcopis assumitur. Solutiones quaedam iam proponuntur et in praxim deducuntur, uti sunt unius directionis quae archiepiscopi est vel Episcopi loci in quo seminarium erectum est. Si autem directio seminarii a coetu quodam Episcoporum exercetur, eo maioris est difficultatis quo inter se minoris sunt unitatis. Immo cum visitatio seminarii regulariter fiat ab unoquoque

⁹ Quae seminaria variis in nationibus sunt erecta a variis Societatibus sacerdotum. Post Concilium Tridentinum plures fuerunt conditae Societates ad hoc ministerium assumendum vel unice ad hoc fundatae, vel principaliter. Cognitae sunt Societates sequentes: Sulpiciani (1642), Eudistae (1643), Lazzaristae (1625). Quae Societates, deficientibus vocationibus, tale non iam exercent servitium, immo saepius in hoc ministerio explendo non retinentur neque invitantur. Quo in casu finis primarius societatis non iam habetur. Quae proprium charisma servare volunt, hodie non nisi in propriis seminariis qualitati spirituali et doctrinali favent.

Episcopo qui proprios suos visitat seminaristas, saepius diversa dantur ab unoquoque Episcopo consilia et praecepta. Tali modo eo difficilior fit unitas quo debilior sit auctoritas.

Quae omnia non tantum sacerdotibus dioecesanis saepius circa haec recentiora experimenta exponuntur sed ab ipsis candidatis qui ob tales difficiliores vitae et formationis condiciones seminarium relinquunt et saepius, cum non aliae eis pateant solutiones, vocationi suae non iam respondere possunt.

IV

Suntne iuniores, praesertim sodales in associationibus sic dictis «Communitates» vel «Motus ecclesiales», qui iam seria spiritali formatione educati et apostolica quadam activitate roborati sunt, in unum collegium adunandi?

Tales praesertim iuniores, semper numero maiores, in unum colligendi et coordinandi videntur qui aliquando, aetatis etiam provectoris, spiritum in associatione vel motu ecclesiali receptum habent quo uniuntur et quem intense in fraternitate sua convivunt. Haec vitae spiritalis et actionis apostolicae stricta coniunctio, in praevia eorum formatione acquisita, indolis videtur magis personalis et profundioris. Qui ut candidati ad sacerdotium, si talem vitae et spiritus unitatem non servant uniti, difficulter in propria vocatione perseverare possunt a qua videntur exclusi et in seminario ordinario separati. Unde persentitur necessitas eos eodem spiritu evangelico unitos et eadem cum finalitate apostolica coadunatos simul retinendi et ulterius ad sacerdotium praeparandi.

Hac necessitate clarius perspecta, ipsius clerici

dioecesani hodierni apparet vocatio melius determinanda et quidem analysi subicienda.

Talis clerici vocatio «fundamentalis» dici potest sacerdotalis quae, uti videbimus, in variis dioecesanis seminariis proprio eorum spiritu compleri et inculcari potest.

Sacerdotes dioecesani, prout hodie formati sunt, singuli propriam sequuntur vocationem personalem. Spiritu generali sacerdotali imbuti sunt, qui a theologia sacerdotii eruitur et proponitur. At, experientiae luce, quae fundamentalia elementa generaliora et communia ita proponuntur, concrete variis et aliis elementis spiritualibus perficiantur et compleantur.

Plures illi sacerdotes post ordinationem sodales fiunt alicuius «Unionis sacerdotalis»; alii, iam ut seminaristae, in aliquo Tertio Ordine Saeculari ut postulantes sunt admissi; alii etiam, uti instituti saecularis sacerdotalis sodales cooptantur, quin tamen ante ordinationem sacerdotalem suae vitae consecrationem in instituto votis aliisque ligaminibus sacris exprimi possint.

Qui tali modo in instituto saeculari sic cooptati, novum et spirituale assumunt vinculum, sed de suo in institutum ingressu saepius cum Episcopo dioecesano verba ne faciant, et quidem ob saecularis instituti discretionem. Haec cooptatio, vi ipsius instituti saecularis statutorum ab Ecclesia approbatorum plerumque de se tam pro fidelibus quam confratribus sacerdotibus dioecesanis secreta maneat oportet¹⁰.

¹⁰ Cfr. C.I.C. c. 715. Quae vita consecrata est propria instituto atque ab Episcopo dioecesano non dependet. Quae discretio et secreta vitae personalis ratio eo maioris fiunt momenti quo aliquando sodales instituti saecularis ad maiores advocari possunt responsabilitates in dioecesi assumendas.

De se talis inter sacerdotes alicuius dioeceseos varietas non est negative diiudicanda at multi sacerdotes dioecesani non alio nutriuntur spiritu quam illo qui ex ipsa theologia sacerdotali generali eruitur, quin semper doctrinaliter omnia eius elementa sint recte exposita et approbanda¹¹. Unum videtur hodie dicendum: sacerdotium, uti dicunt, «dioecesanum» non est unicum neque ut primum est proponendum. In hac materia plura, etsi secundaria, aliquando dicta, erronea sunt quae sacerdotalis alicuius dioecesanae mentalitatis sunt origo et consuetudo¹².

V

Si vero isti iuniores alicuius associationis sodales in dioecesanum ingrediantur seminarium, quo modo in ipso seminario possint propriam suam prosequi vitam et doctrinam receptam retinere.

Quaestio est actualis et semper maioris ponderis; plures enim ad sacerdotium candidati hanc in se obtinent spiritualem talis associationis vocationem communem, quam rite approbatam, servare velint et debeant.

Quae ad sacerdotii electionem saepius fuerunt sive ratio vivendi in ipsa consociatione apostolica, sive

¹¹ Doctrina de ipso sacerdotio exposita non sat aperta est omnibus formis vitae sacerdotalis. Quod veritatis vitae nocet. Clare hodie apparet differentia inter theologiam de sacerdotio generalem et momentum vitae et actionis pastoralis iuxta mentem et charismata diversa tum in dioecesi, tum in instituto vitae consecratae quod publicum et speciale exercet ministerium.

¹² Quae variae positiones etiam obstaculo sunt vocationi recte discernendae.

nonnulla educationis catholicae et spiritualis nova conamina, quibus iuniores christiani per annum praeparatorium quam «sabbaticum» dicunt, fundamenta vitae christianae, dogmata et sacramenta, Scripturae sacrae meditatione et applicatione, ut vitae ecclesialis fundamenta, melius perspiciunt et in praxim in tali fraternitate deducunt. Quae formatio, primo aspectu doctrinalis, fit vitae personalis conversio et ad caritatem perfectam vocatio nova, non tantum in vitae consecratae institutis sed in sacerdotio ministeriali exercenda vel in matrimonio christiano explenda.

Qui autem post talem vitam in coetu peculiari, saltem per annum peractam, titulo personali in seminarium dioecesanum, etiam ab ipsis electum, ingrediuntur, plures eis exsurgunt quaestiones et difficultates, quas saepius exponunt.

Apparet eis paulatim in seminario dioecesano haberi unitatis spiritualis absentia vel defectus. Tum magistri, tum qui spiritualia vitae elementa exponunt, suam propriam individualement vitam tenent.

Eis videtur paulatim in ipsa dioecesi non possibilis aliqua coordinatio in re spirituali, immo in exercitio ministerii sacerdotalis directio.

Insuper plures videntur seminaristae et iuniores sacerdotes solitarii et saepius ut «derelicti», qui non omnes secunda directione et apta informatione recepta, propriam possint determinare et sequi vitam.

Hodie saepius iuniores isti de hac sua dirigenda vita consilia petunt, cum ipsi semper difficiliora et onerosa fiunt sequentia quae hic notanda sunt:

1. Deficit unitas doctrinae et inter professores uno tam intellectualis quam spiritualis.

2. Deest inter Scripturam sacram et traditionem profundior coniunctio; plura methodo nimis critica in dubium vocantur.

3. Nocet spiritus nimis hermeneuticus, criticus, quin primo profunde exponatur tota veritas revelata, in Ecclesia tradenda et experienda, in fidelitate fidei et caritatis unita.

4. Deest denique cura peragendae coniunctionis inter veritatem doctrinaliter exponendam et in praxim vitae fidelium assumendam.

Quae omnia hic ex dictis ab ipsis seminaristis probatis colliguntur. Quae si critica haec sunt, saepe clarius exponuntur a iunioribus qui sodales alicuius motus ecclesialis vel consociationis novae fuerunt et remanent.

His praemissis, ad quaestionem sequentem devenimus hic tractandam.

Difficulter admitti posset positio, qua ipse Episcopus his iunioribus imponeret ut omne ligamen cum sua praevia fraternitate rumperet et novam vitae viam sequeretur. Quae iniunctio, si fit, est iniusta et ratio sufficiens ut candidatus in seminarium talis Episcopis non iam ingrediatur.

At quaedam solutiones nunc huic difficultati iam inveniuntur, quae, si non meliores, iustae et aptae videntur ut iuniores propriam suam divinam ad sacerdotium vocationem sequi possint.

Et prima est electio ab ipsa associatione vel motu ecclesiali seminarii dioecesani in quo sodales eius assumuntur plures, qui etiam sese ministerio pastoralis in hac dioecesi velint devovere, in qua et adscribuntur seu incardinantur. In tali seminario iam inveniuntur unus alterve inter professores, qui talis associationis sodales his seminaristis sint adiutorio spirituali et intellectuali.

Secunda solutio est quae ab ipso Episcopo dioecetano fovetur, qua in proprio seminario assumuntur qui, in sua dioecesi incardinati, post ordinationem di-

recte vel post aliquos annos in ministerio dioecesano peractos, libere ceduntur ab Episcopo dioecesibus in quibus carentia habetur sacerdotum et candidatorum ad sacerdotium.

Insuper in seminario et assumuntur et in dioecesi incardinantur candidati qui, tempore opportuno sese ministerio sacerdotali devovere velint fidelibus qui in associatione vel motu ecclesiali sunt sodales omnis conditionis, aetatis et professionis civilis vel in ipso coadunantur variis categoriis et ramis, etiam vitae communis, immo et vitae consecratae.

Ultima solutio in plurium votis est ut associatio vel motus ecclesialis propria possit condere et dirigere seminaria. Attamen iam hodie e conviventia sodalium cum aliis in eodem seminario condiscipulis plura obtinentur pro ipsa consociatione emolumenta ut sunt mutua cognitio et fructuosa cooperatio¹³.

VI

Estne in dioecesano seminario propria spiritualitas doctrina et vita exprimenda?

Propria spiritualitas, uti dicitur, non est sola doctrina theologica de sacerdotio et de eius ministerio praesertim eucharistico. Sunt plura alia elementa quae ipsi dioecesi ex eius historia et vita sunt propria et determinata.

Quaeri potest quaenam elementa alicui dioecesi sint propria et, uti talia, considerata. Experientia in nonnullis dioecesibus iam facta, ut propria elementa

¹³ Vide de hac re quae in Exhortatione Apostolica Ioannis Pauli Pp. IIⁱ. *Pastores dabo vobis* n. 68 §§ 4-7 habentur.

apparent ipse fundator dioeceseos, alique sancti et beati qui in ea vixerut. Aliquando sunt praeclari, ut Ecclesiae Mediolanensis patroni S. Ambrosius et S. Carolus Borromeus. In hac dioecesi coluntur et eorum spiritus affirmatur. Alii Episcopi qui in dioecesi sancte vixerunt et quorum memoria apud fideles remanet vivida, idem praebent fundamentum.

Sed hodie etiam alia sunt investiganda et declaranda, quae saepius implicite et in actione apostolica, viva sunt sed explicite melius sunt exprimenda.

At difficultas non minima habetur in successione Episcoporum, qui saepius in dioecesi aliqua nominantur quin ex eius clero assumantur. Qui tamen Ecclesiae, cui praeponuntur, vitam, traditionem et spiritualitatem cognoscere possunt, praesertim si, etiam scriptis iam editis, ea omnia serio studio historico et theologico exponuntur. Sunt etiam magni momenti scripta praedecessorum, epistolae pastorales, decreta atque alia documenta quibus vita ecclesialis in dioecesi animatur et regitur.

Quaestiones tamen maiores remanent de vita spirituali in seminario ducenda et dirigenda, qua paratur existentia sacerdotalis in ministerio sacro per totam vitam exercendo fideliter evolvenda et profundius experienda. Quae omnia in ultimis punctis hic exponendis investigantur.

VII

Estne adscriptio clerici seu incardinatio in associatione seu motu ecclesiali optanda, fovenda et obtinenda?

Variae sunt natura et fine associationes quae etiam paulatim crescunt ut «motus ecclesiales», qui

omnes personarum ordines uno spiritu atque propria sua communi structura coadunant.

In his pluribus certo certius aliquando exoptatur ut, sectione sacerdotali vel ministeriali cum diaconis permanentibus exorta, in ea habeatur possibilis incardinatio.

Qui presbyteri et diaconi, etiam in ipso motu per tria evangelica consilia consecrati, omnes tamen remanent clerici «saeculares», quin de se sint dioecesani¹⁴. Attamen aliquando in his motibus vera vitae religiosae nova conamina fiunt vel etiam ad modum societatis vitae apostolicae, explicite formam vitae Deo consecratae assumunt.

Non raro isti e motu ecclesiali coetus sese ad modum instituti vitae consecratae ab Ecclesia approbari volunt ut ipso iure habeatur in eis incardinatio et seminarii proprii formatio.

Res mira non est; in schemate codicis anni 1980 haec possibilitas praevidebatur. Textus erat sequens sub c. 691 §1:

Consociationes seu societates clericales a Sancta Sede erectae aut per formale decretum ab ea approbatae tantummodo potestatem habent sibi clericos incardinandi, si haec facultas ipsis a Sede apostolica decreto speciali concessa fuerit.

In secunda huius canonis 691 paragrapho moderatoribus potestatem concedendam consideramus:

¹⁴ Distinctio inter saecularem et dioecesanum clerum explicite facta est in c. 295 de Praelatura personali. Quae vox «saecularis» aliquibus sacerdotibus videbatur olim «mundana»; hodie melius cognoscendo naturam vitae etiam consecratae in mundo, vox «saecularis» denuo obtinet suam veram et profundam significationem.

In huiusmodi societatibus facultate sibi clericos incardinandi ditatis, moderatores ad normam iuris proprii, potestatem ecclesiasticam regiminis participant quatenus ad regimen societatis requiratur.

Quae similis norma in Codice canonum Ecclesiarum orientalium invenitur et quidem sub c. 579, qui canon negativa quadam redactus est forma:

Nulla consociatio christifidelium propria membra ut clericos sibi adscribere potest nisi ex speciali concessione a Sede Apostolica vel, si de consociatione de qua in c. 575 § 1 n. 2 agitur, a Patriarcha de consensu Synodi permanentis data.

Qui c. 575 haec sub § 1 statuit:

§1. Auctoritas competens ad erigendas vel approbandas christifidelium consociationes est pro consociationibus et earundem confederationibus:

Quae auctoritas sub n. 2 huius paragraphi primae dicitur:

2°. Quae consociationes omnibus christifidelibus aliquius Ecclesiae patriarchalis vel metropolitanae sui iuris patent quaeque sedem principem intra fines territorii eiusdem Ecclesiae habent, Patriarcha consulta Synodo permanenti vel Metropolita consultis duobus Episcopis eparchialibus ordinatione episcopali senioribus.

Quae omnia in Codice die 18 octobris 1990 promulgato, vim legis obtinent a die 1° octobris 1991.

Quae norma, primo in schemate codicis latini proposita, in codice ipso non est assumpta. Ratio huius suppressionis videtur hodie incerta et non probata. Dicitur huius normae suppressio peracta esse cum in praelatura personali praevideretur talis cleri-

corum incardinatio. Quae facultas in c. 295 § 1 codicis latini vigentis invenitur, cuius sequens est textus:

Praelatura personalis regitur statutis ab Apostolica Sede conditis, eique praeficitur Praelatus ut Ordinarius proprius cui ius est nationale vel internationale seminarium erigere necnon alumnos incardinare, eosque titulo servitii praelaturae ad ordines promovere.

Sed non omnes in Ecclesia latina consociationes praelatura personalis sunt vel esse volunt, quae praelatura est clericorum, non de se omnium christifidelium¹⁵.

Quae, hos textus comparando, notanda sunt sequentia: in textu schematis anni 1980 sicut et in CCEO non habetur vox «Ordinarius» at moderatori eodem conceditur potestas incardinandi et ad ordines promovendi iuxta statuta consociationis. Approbatio iure vigenti Patriarchae est, audito Synodo, vel Metropolitae auditis duobus senioribus episcopis eparchalibus i.e. dioecesanis.

Quae in iure ecclesiali orientali conceduntur latinis non sunt neganda. Pluries autem e vita exsurget necessitas talis normae pro consociationibus latinis obtinendae. Sunt enim hodie consociationes quae:

a) plures seminaristas iam obtinent qui studia sua peragunt in seminariis dioecesanis et in his dioecesis, ratione motus ecclesialis eiusque in dioecesi

¹⁵ Praelatura hodie unica a suo fundatore exoptabatur ut «motus apostolicus laicorum». Deficientibus sacerdotibus qui hos laicos ministerio suo adiuvarent, praevidebantur inter laicos futuri sacerdotes. Hodie positio facta est initiali contraria coetui, cum praelatura sit clericorum (c. 294), cui cum «conventionem» sibi laici adnumerantur, qui sese velint «dedicare operibus apostolicis praelaturae», quo eorum fit «organica cooperatio» (c. 296).

servitio, incardinantur. Motus aliquis octoginta quinque seminaristas coadunat, quorum nonnulli in uno seminario dioecesano assumpti sunt ut in hac etiam incardinantur Ecclesia¹⁶.

b) Sunt et aliae consociationes, quae Romae in Urbe proprium habent seminarium sed et alia variis in Orbis nationibus obtinent¹⁷.

c) Sunt aliae consociationes quae sodales candidatos ad sacerdotium in aliquo convictu coadunant. Qui seminaristae, consociationis sodales, ad facultates theologiae et philosophiae viciniore mittuntur¹⁸.

Quae sponte in vita Ecclesiae fiunt, negari non possunt; immo si vi proprii charismatis coadunantur, eodem Spiritus dono Ecclesiae sunt emolumento et servitio. Urget autem quaestio de eorum in vita ecclesiali recte componenda, etiam canonica positione.

VIII

*Estne in Codice vitae spiritualis presbyteri expositio?
Suntne quae in Concilio sunt proposita, in Codice
assumpta? Habeturne in Synodo Episcoporum de*

¹⁶ Non omnes motus ecclesiales hanc incardinationem exoptant. Sunt autem qui solam incardinationem in aliqua dioecesi ab ipsis electa admittunt.

¹⁷ Exemplo sit «Via Neo-Catechumenalis». Anno 1989 illa «via Neo-Catechumenalis» numerabat 250.000 sodales et 1500 seminaristas in suis seminariis. Quae seminaria habentur in civitate Madrid in Hispania, Warschau in Polonia, Medellin in Colombia, Callao in Peru, Bangalore in India, Santo Domingo in Republica Dominicana, Takamatsu in Japonia et Newark in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

¹⁸ Qui convictus Romae iam habentur sed etiam aliis locis quo tales facultates habentur.

formatione presbyterorum, anno 1990 celebrata, de hac quaestione ulterior reflexio?

Quaestio ampla est! Non nisi quaedam nunc adnotari possunt. Difficile etiam est hodie de tota quaestione plenum exprimere iudicium. Quedam tamen maiora indicanda sunt. De vita hic primo agamus spiritali presbyterorum, speciatim dioecesanorum.

a. *De presbytero loquitur Codex agendo de officiis et iuribus clericorum.* Unde directe haec sequentia perspiciuntur:

Etsi C. 273 habetur de oboedientia unus, de coelibatu unus c. 277 § 1, a Summo Pontifice ampliatus¹⁹, doctrina Concilii Vaticani II de paupertate, etiam voluntaria, in Codice non assumitur. Vide *P.O.* 17, praesertim paragraphos d et e; quae ultima norma ad Episcopos extenditur.

Relatio inter haec *tria consilia evangelica* in Concilio ut talis non habentur, etsi de facto ampla de his

¹⁹ Oboedientia hic potius Episcopo praestanda exponitur; quae oboedientia primo Deo est responsio et donatio facienda. Qui c. 273 primus fit. At de illa oboedientia Summo Pontifici praestanda dixit aliquis archiepiscopus: «Expungatur canon vel eius loco ponatur can. 127 praesentis C.I.C. (anni 1917). Norma enim schematis videtur innixa in tendentia theologica iuxta quam Romanus Pontifex est Episcopus Ecclesiae universalis». Quae sententia Archiepiscopi fuit respinta, et recte, nam gallicanismo imbuta. Vide *Rel.* ad c. 247 p. 63; *Comm.* 14 (1982) 169. Coelibatus, modo valde iuridico ut obligatio primo exponitur. Sic in schemate anni 1977 (c. 135) et in sequenti anni 1980 (c. 250). Adiungitur canonis secunda pars iuxta animadversionem factam, quae dicitur Summi Pontificis. In schemate anni 1982 quod ultimum est haec adiuncta habentur. Qua clarificatione coelibatus proponitur ut donum Dei et etiam ut responsio Deo facta, quae in *P.O.* n. 17 dicitur consecrativa.

singulis consiliis habeantur expositio et explanatio (*P.O.*, 14-17). Immo loquens Concilium de coelibatu propter Regnum coelorum, illum uti *virginitatem* considerat sed eius plenam vim et significationem non exponit. Dicitur enim de virginitate, uti via vitae, modus esse quo facilius indiviso corde Deum amare possunt sacerdotes (*P.O.*, 16 b). Quae alio modo exponuntur in *L.G.* n. 42, ubi radicaliter dicitur virginitas uti indiviso corde Dei adhaesio.

Relatio trium consiliorum ad Eucharistiae sacrificium in decreto *P.O.* (6 e; 13 c; 14 b et c) adumbratur, non plene proponitur, etsi dicatur Eucharistia esse centrum vitae sacerdotalis. Idem dicendum est de relatione trium consiliorum ad donum suipsius (*P.O.* 2 d) in Eucharistia peragendum, quo una cum Christo sese offerunt sacerdotes (*P.O.* 5 b). Qua ratione invitantur ut Eucharistia cotidie celebrant, qua se totos Deo offerant (*P.O.* 13 c). Immo, si dicitur sacerdos novo modo consecrari (*P.O.* 12 a), non dicitur quomodo consecratio vitae per consilia evangelica peragenda cum sacramentali et ministeriali consecratione uniatur vel forsitan exigatur.

b. In ipsa Synodo anni 1990 *De formatione sacerdotum*, tum in textu «Lineamenta», tum in alio «Propositiones» fere nihil novi habetur²⁰. Unum elementum novum et magni momenti est, nempe invitatio ad annum propaedeuticum instaurandum, qui sit initium formationis sacerdotalis. Qui annus propaedeuticus

²⁰ At in textu Synodi Episcoporum anni 1990 loco «consiliorum» loquuntur Lineamenta de «attitudes évangélique». In Exhortatione Apostolica «*Pastores dabo vobis*» clare fit sermo «de tribus consiliis evangelicis» vide nn. 27-30.

iam in nonnullis habetur seminariis et ut «novitiatus» ad vitam sacerdotalem assumendam considerari potest²¹.

c. Cum actualis sit et *urgens quaestio de vocationibus ad sacerdotium assumendum*, fit etiam de momento associationum et motuum iuvenum recognitio, qua eorum influxus spiritualis recognoscitur, eorum pondus in iuniorum formationem admittitur. Exoptatur autem praeprimis ut formatio seminarii agnoscat valorem spirituales formationis quam in his associationibus receperunt iuvenes, immo exigitur ut illae associationes sensum Ecclesiae et ministerii communificent ut capacitas habeatur fidelitatis erga Episcopum, generositas ad munera assumenda foveatur, ut sensus disciplinae ecclesiasticae inculcetur.

Immo proponitur *seminarium ut communitas* quae ab Episcopo coadunatur atque in ea iuvenes, qui propria iam spiritualitate in associationibus et motibus sunt educati, alias formas seu vias spirituales agnoscant, ad dialogum et cooperationem adducantur, normis ab Episcopo et educatoribus in seminario datis adhaereant. Quae omnia ad servitium sacerdotale assumendum in bonum totius Populi Dei sunt praeparatio et recta educatio.

d. At de quaestione de qua agitur, nihil dicitur, nempe de *spiritu proprio seminarii*, de valore spiritualitatis quae in seminario proponitur, de unienda praecedenti formatione cum nova in seminario perficienda formatione et educatione. Quae in seminarii forma-

²¹ De hoc anno propaedeutico vide Exhortationem Apostolicam Joannis Pauli IIⁱ «*Pastores dabo vobis*» n. 62.

tione hodie a iuvenibus, qui in associatione vel motu ecclesiali sunt educati, non persentiuntur, cum maioris vigoris spiritualis et zeli apostolici iam habuerint experimenta et doctrinam²². Hac de causa, haec sunt considerata, non tantum de natura associationis et motus ecclesialis sed de personali vocatione agnoscenda et perspicienda. Id eo magis necessarium videtur quo in his associationibus et motibus non tantum assumuntur iuniores sed formantur omnis aetatis et ordinis fideles, immo in his detegunt et iam experiuntur hanc ad sacerdotium in coelibatu sacro exercendum vocationem.

e. Ut clarius perspiciatur momentum quaestionis quae hic examini proponitur, tota de hac re amplianda est reflectio. Quae nunc fieri potest.

His in coetibus, associationibus et motibus quid habetur novi et maioris ponderis in vocatione sacerdotali recognoscenda et profundius intuenda, immo melius assumenda et in praxi deducenda videamus oportet.

Ut uno verbo haec exprimantur omnia, dici potest sensus ecclesialis his coetibus, associationibus et motibus proprius maximi esse momenti. Quod momentum et pondus, etsi iam prius habebatur ut vivum et evangelicum exercitium, nunc semper melius.

In his institutionibus ab Ecclesia lente et prudenter, etiam tacito tantum consensu approbatis, habetur *elementum fundamentale unitatis et amoris*, quae unitas est caritas ut amor Dei et proximi; quo elemento uniuntur inter se omnes ordines personarum et omnis aetatis et activitatis humanae, immo et consecrationis

²² Vide Exhortationem Apostolicam Joannis Pauli II' «*Pastores dabo vobis*» n. 68 § 4-6.

vitae Deo etiam per evangelica consilia simul exprimendae proprio statuto et spiritu. In qua ecclesiali unitate melius et plenius experiuntur vocatio ad sacerdotium et eius ministeriale servitium. Quae insuper vocatio sustinetur ut et recognoscitur ab una ecclesiali communitate, charismate proprio adunata sed ad omnes vocationes assumendas fideliter agnoscendas, adiuvandas et proprio spiritu ecclesiali animandas et sustinendas.

Immo quae initio fuit sustentaculum, postea pro sacerdotibus iam in ministerio exercendo fit adiutorium et supplementum, quod collaboratione sodalium, qui sunt eiusdem spiritus et charismatis confirmatur. Quae in ministerio sacerdotali exercendo variis modis experitur, vel ut coetus sacerdotalis, qui sunt eiusdem spiritus et associationis sodales, qui unam magnam vel plures parviores paroecias vel communitates simul deserviunt vel ut collaborationis expressio, si, praeter unum sacerdotem, curam paroeciae simul cum eo assumunt diaconi, et christifideles, etiam coniuges, vel Deo consecrati, qui sunt eiusdem motus vel associationis sodales, etiam diversae aetatis, culturae et nationis.

Quae in ordinaria vita dioecesana hodie non habetur, cum sacerdotes in ea soli educantur, efformantur et in ministerio soli instituantur. Seminaria, si hodiernis volunt correspondere vitae ecclesialis sensui et exigentiis, ne remaneant, quod fuerunt, vitae solitudinis et individualis actionis et personalis responsabilitatis via; quae hodiernae menti maioris unitatis, caritatis et divinae inspirationis communi sensu receptae et assumptae non correspondet.

f. Non autem negandae sunt in hac nova vitae via difficultates, praesertim in Ecclesia particulari re-

genda et sustinenda; quae Episcopi dioecesani remanet cura et eius officii responsabilitas.

Si desunt ad seminarium dioecesanum candidati, immo si et iam clauduntur seminaria etiam maiora propter defectum vocationum, ad plures illos novae viae coetus, qui proprias iam suas habent convictus et seminarii formas, conveniunt candidati qui dioecesi fient postea adiutorio et servitio.

Quae hodie iam duplex habetur recensenda huius collaborationis forma. Una est motus ecclesialis qui suos ad sacerdotium candidatos ad seminarium dioecesanum semper mittit et in hac ipsa dioecesi incardinandos destinat; altera est qui sacerdotes iam formatos ad dioecesim quae necessitate cleri proprii sed insufficientis laborat vel ad tempus vel definitive mittit. Quae forma est valde similis adiutorii et collaborationis, quae fuit et est tot institutorum et societatum vitae consecratae. Fuit eadem illa quae a saeculo XVIII fuit societatum sacerdotalium saecularis cleri, non dioecesani. Non tamen videtur extraordinarium, si hodie erigitur coetus novus iuniorum sacerdotum et candidatorum qui «missionarii Ecclesiae localis» esse cupiunt. Quae omnia, si proprio dono vel charismate suscitantur et corroborantur, Ecclesiae sunt vitae dona ab Episcopis agnoscenda et recipienda. Non semper viae nostrae sunt viae Spiritus, qui renovationis et illuminationis est Spiritus.

B. Uti iam perspeximus, ex hac praevia reflexione exsurgunt alia quaesita considerata et solvenda.
Sunt sequentia; et primo:

I

Estne sacerdotalis vita in vita consecrata monastica vel apostolatus operibus dedita melius intelligenda, strictius aptanda, denuo affirmanda et promovenda?

Sacerdotalis vita fundamentaliter exsurgit et vivitur ex ipsa ordinatione sacerdotali valida et rite recepta. Quae ordinatio est, ut optime nunc in decreto *P.O.* exponitur, «sacramentalis unio cum Christo sacerdote». Quae unio spiritu Christi sacerdotis est exprimenda et semper profundius profitenda. «Presbyteri unctione Spiritus Sancti speciali caractere signantur et sic Christo sacerdoti configurantur ita ut in persona Christi capitis agere valeant» (*P.O.* 2 c). «Per presbyterorum ... ministerium sacrificium spirituale fidelium consummatur in unione cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, quod per manus eorum, nomine totius Ecclesiae, in Eucharistia incruente et sacramentaliter offertur, donec ipse Dominus veniat» (*P.O.* 2 d). Quod ministerium sacerdotale quo fideles «se ipsos offerant» hostiam viventem, sanctam, Deo placentem» (Rom 12,1; *P.O.* 2 d), ipsi presbyteri titulo speciali in hac suipsius oblatione uniunt qui, uti tales, «invitantur et adducuntur ad seipsos, suos labores cunctasque res creatas una cum Ipso offerendos» (*P.O.* 5 b).

Hac sua sacramentali ordinatione presbyteri peculiari ratione tenentur ut, qui «Deo in Ordinis receptione novo modo consecrati» (*P.O.* 12 a), «quod trac-

tant, imitentur» et cum actu Christi sacerdotis coniuncti, cotidie se totos Deo offerant et dum Corpore Christi nutriantur, ex corde participant Eius caritatem qui se in cibum dat fidelibus (*P.O.* 13 c). Haec, dicit Concilium, «pastoralis caritas maxime profluit a Sacrificio Eucharistico, quod ideo centrum et radix totius vitae presbyteri exstat ut quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat» (*P.O.* 14 b).

Quae caritas erga Deum et homines ut plenius exprimatur et exerceatur, in ipsa «perfecta et perpetua propter coelorum continentia ... ab Ecclesia speciali modo pro vita sacerdotali semper per magni habita est» (*P.O.* 15 a). «Per virginitatem autem vel coelibatum propter Regnum coelorum servatum Presbyteri nova et eximia ratione Christi consecrantur et facilius indiviso corde adhaerent, liberius in ipso et per ipsum servitio Dei et hominum sese dedicant» (*P.O.*, 16 b).

Quae omnia clarificanda sunt. Alia est consecratio sacramentalis, quae electioni divina nititur et cui libere candidatus ad sacerdotium respondeat oportet. In ipsa ordinatione habetur actio Dei vocantis et sacerdotis sese offerentis, quae consecratio est sacramentalis, donum Dei et configuratio Christi sacerdotis et oblatis.

At in coelibatu sacro «nova et eximia ratione Christo consecrantur» qua «Ei facilius indiviso corde adhaerent» ordinati (*P.O.* 16 b). Quae consecratio est spiritualis atque tum in continentia perfecta, tum in oboedientia Deo et superioribus, Summo Pontifici et Episcopo dioecesano, praestanda (*P.O.* 15 b), tum in paupertate voluntaria ad quam «amplexandam invitantur qua Christo manifestius conformentur et ad sa-

crum ministerium promptiores fiant» (*P.O.* 17 d).

Nova consecratio evangelicis consiliis expressa et manifestius exhibita, et ipsa est consecrationis donum, a Deo receptum; consecrationis oblatione ipsi, qui huic dono respondent, libere sese Dei et hominum amori et servitio dedicant.

Quae doctrina de sacerdotali consecratione in sacramento peracta et in dono suipsius per consilia evangelica servanda, nova ratione expressa et manifestata, hodie clarius est exprimenda, cum dubia sint orta de matrimonio quorundam presbyterorum in Ecclesiis Orientalibus et de obligatione ad consilia evangelica profitenda item habeatur quaestio solvenda²³. Quae in Concilio exponuntur ut valores magni momenti et responsa generosa, intuitu sacerdotii Christi et Ecclesiae, paulatim ut vocationis perspicierentur exigentia²⁴.

²³ De hac materia elucidanda vide R. CHOLIJ, *Married Clergy and Ecclesiastical continence in Light of the Council in Trullo*, cum introductione E. Card. A. Stickler S.D.B. Leominster 1989. Eiusdem auctoris vide *De coelibatu sacerdotali in Ecclesia Orientali nova historica investigatio*, in *Periodica* 77 (1988) 3-31. *De lege coelibatus sacerdotalis: nova elementa investigationis*, in *Periodica* 78 (1989) 157-185; *New Investigation into the Law of Celibacy*, in *Folia Theologica* 2 (1991) 119-142. Textus Concilii Vaticani IIⁱ inde non videtur doctrinaliter fundatus, immo prudenter revidendus ne ipse traditioni antiquiori et saniori noceat atque de coelibatu sacerdotali fiant inutiles disputationes; deficientibus hodie vocationibus, ne fiat textus ille via ad clerum praesertim dioecesanum in Ecclesia latina numero augendum facilior sed deterior.

²⁴ Exoptari potest ut doctrina Concilii Vaticani IIⁱ de consecratione vitae per consilia evangelica fiat generalis pro clero dioecesano vitae norma. Plura sunt iam melius exposita in Exhortatione Apostolica postsynodali «*Pastores dabo vobis*», nempe nn. 27-30.

Notanda est Concilii norma, qua sacerdotes omnes invitantur ut cotidie celebrent (*P.O.* 13 c). Quae celebratio est actus Christi et Ecclesiae (*P.O.* 13 c). Ipsa cotidiana commendatur «etiam si praesentia fidelium haberi non possit» (*Ibidem*). Quae ultima norma magni est momenti, uti videbimus, infra loquentes de sacerdotio in vita eremitica et monastica.

Proh dolor, Decretum *P.O.* est redactum modo quidem partiali et restricto. Dicit textus: «ea quae hic dicuntur omnibus presbyteris applicantur, speciatim iis qui curae animarum inserviunt, congrua congruis referendo ad religiosos presbyteros quod attinet». Quae applicatio ad religiosos formaliter non habetur. Fit sermo de presbyteris dioecesanis et quidem de his qui strictius in opere pastoralis, praesertim paroeciali, fidelibus praesto sunt.

Profundior ergo est intelligentia sacerdotii optanda. Iam multa sunt doctrinalia elementa in decreto *P.O.* enuntiata, etsi alio in restricto contextu exposita. Quae nuper exposuimus.

1. Ipsum sacerdotium *in vita monastica*, eremitica vel coenobitica, habet momentum maioris amplitudinis, immo universalis; quae celebratio eucharistica ad fideles praesentes sponte in paroecia limitata, ad totum mundum extenditur et, uti Christi oblatio universalis, fiat semper melior ad salutem totius mundi et consecrationem totius creationis. Insuper, quo profundior fit monastica vita, consiliis evangelicis Deo dicata, eo plenior fit cum Christo spiritualis unio quae, uti actus redemptivus, pro omni sacerdote primum et maximum apostolicae activitatis est ministerium. Vita sacerdotalis eremitica hac ratione dici debet eminenter «apostolatui spirituali dedita».

2. Eodem modo melius definienda est sacerdotii deditio *in institutis apostolatus operibus deditis*²⁵. Quae activitas apostolica alia est presbyteri itinerantis, alia stabiliter in ministerio speciali constituti, uti sunt ministerium sacramenti poenitentiae exercendum vel immo catechetica puerorum instructio, iuniorum formatio specialis vel cum educatione iuventutis in scholis pleniore coniuncta.

3. Remanet autem sublineanda vita consecrata sacerdotum, qui *in institutis saecularibus* sese consiliis evangelicis «Deo et animabus» consecrant (Pius XII), ut in vita eorum dioecesana et in eorum presbyterio omnibus fidelibus et clericis silentioso exemplo sint huius consecrationis sacramentalis melior correspondentia (cc. 770-771; 713, §§ 1-3).

4. Hodie autem habentur presbyteri, praesertim iuniores multi, qui *in associatione vel in motu ecclesiali* sese plene Deo et apostolatus operibus sese devovent. Qua eorum vitae via nova datur sacerdotii vera identitas et suscitatur, uti diximus, melior omnium fidelium in ministerio Verbi et liturgiae celebrandae, praesertim eucharisticae, participatio activa et novae ab eis ministerialitatis exprimuntur formae.

²⁵ Denominatio est generalior quam illa consueta «religiosi», quae etiam monachis applicatur. Quae vox «religiosus» saepius errate applicatur membris Institutorum saecularium, immo sodalibus Deo consecratis qui membra sunt alicuius novae formae vitae consecratae. Quae ultima denominatio theologice melior est retinenda, si de his omnibus formis loquimur. Vox «Instituta operibus apostolatus dedita» retenta est in c. 675. In schemate anni 1977 erat subdivisio his institutis propria (Sch. 1977, cc. 108-118).

Concludendo magni faciendum est sacerdotale sacramentum, quod est Episcoporum et presbyterorum, ut, clarius perspectum, variis vitae sacerdotalis assumatur formis et melius applicetur presbyterorum vocationibus et ministeriis. Nocet veritati sacerdotii expositio doctrinalis de sacerdotio quod proponitur primo et principaliter ut dioecesanum et praesertim ut paroeciale ministerium. Memoranda est positio alicuius auctoris qui loquens de eminenti dignitate sacerdotii dioecesani, inter plura errata, affirmabat ministerium sacerdotale in dioecesana vita esse ministerium, in religiosis regulae obligatio²⁶.

Laudanda est felix declaratio Superiorum maiorum e Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis (USA) qua invitantur religiosi omnes ut suam propriam obtineant identitatem vel eam denuo expriment; nimis enim multi in ministeriis dioecesanis, praesertim ut parochi, soli vivunt et sui instituti figuram eiusque vitae regulam deperdunt²⁷.

Hodie, dum desint vocationes individuales ad sacerdotium dioecesanum et quidem multis in nationibus, nascuntur novae sacerdotales associationes quorum sodales praeprimis presbyteri «Ecclesiae localis missionarii» esse cupiunt. At iam in his coetibus adnumerantur etiam diaconi, christifideles Dei et homi-

²⁶ E. MASURE, *De l'éminente dignité du sacerdoce diocésain*, Paris 1938. «La célébration de la messe chez les religieux est d'abord un exercice de règle; et chez nous-prêtres diocésains, — elle est d'abord une service paroissial, bien qu'elle soit chez les uns et chez les autres un acte de religion» p. 152.

²⁷ Quae declaratio invenitur in *Documentation Catholique* 73 (1991), 954-956. De hac declaratione verba facit R. SOULARD, *Chronique de la vie consacrée*, in *L'année canonique* 34 (1991) 291-300. Vide pp. 299-300.

num servitio per consilia evangelica consecrati, immo et coniuges, qui ut familiae et ipsae «missionariae» esse volunt atque in ministerio presbyteris adiutorio.

Optata Superiorum maiorum e Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis eadem sint pro omnibus in mundo Deo per consilia consecratis: «Nobis videtur maximum in eo adiutorium Ecclesiae nostrae nationis dari quod simus vere nos ipsi, exprimendo spiritualitatem nostram, charisma proprium et specificum uniuscuiusque Instituti apostolatus exercitium»²⁸. Quod votum omnibus Institutis vitae consecratae est urgens et essentiale hodiernum monitum, immo et remanet praeceptum, vi charismatis, divinum.

II

Sequentem nunc consideremus quaestionem, quae etiam doctrinale suum obtinet momentum. *Estne in ordinatione sacerdotali aliqua vitae Deo per evangelica consilia consecratio facta vel facienda?*

Quaestio semper magis fit actualis et vitalis pro omni sacerdotio etiam, uti dicunt «saeculari» seu «dioecetano». Responsio innuitur in traditionali doctrina qua etiam in ritu liturgico invitantur ordinati «ut, quod tractant, imitentur» (*P.O.* n. 13 c). Personam Christi gerunt, praesertim in sacrificio Missae. Mortis dominicae mysterium celebrantes, membra sua a vitiis et concupiscentiis mortificare procurent. Quae hic negative proponuntur, positive non nisi in amore divino plene exprimuntur. Qui amor Dei unione cum Christo qui sacerdos, hostia et altare est, amor est filialis Ver-

²⁸ *Ibidem*, 300.

bi incarnati erga Patrem quem revelat et vi Spiritus Sancti exprimitur.

Quae invitatio non est tantum coelibatus sacerdotalis qui perfectam continentiam supponit et exigit sed perficiendi doni maioris ponderis, i.e. totius vitae et activitatis. Quae continentia perfecta et perpetua coelibatus recte dicitur «donum Dei peculiare». Quod donum sacerdotes invitat ut cotidie in Eucharistia sese totos Deo offerant (*P.O.* n. 13 c).

Quod prudenter in c. 277 § 1, verbis e decreto *P.O.* assumptis, exprimitur ut «peculiare Dei donum quo quidem sacri ministri — et audiuntur sacerdotes i.e. Episcopi et presbyteri — indiviso corde Christo facilius adhaerere possunt atque Dei hominumque servitio liberiori sese dedicare valent».

Remanet tota doctrina hodierna de coelibatu in Concilio expressa ob matrimonium presbyterorum conditionata quod in Ecclesiis Orientis ex praxi retinetur. At ipsum hoc presbyterorum matrimonium, etsi hodie legitime servatum, initialiter in Concilio Trulensi est assumptum. Quod punctum historice examini subiacet severius²⁹. Non sine momento erit ut, progrediente temporis evolutione, nova et melior habeatur doni Dei et presbyteri huic dono respondentis cognitio et generosa in vita sacerdotali assumptio.

Consilia evangelica sunt unius filialis erga Deum Patrem in Filio, Verbo eius Incarnato, amoris expressio. Qui continentiam perfectam servant, facilius indiviso corde Christo adhaerent. Quae continentiae adhaesio corroboratur in oboedientia qua, voluntatem propriam abnegantes, sese servitio Dei et fratrum de-

²⁹ Vide *supra*, nt. 23.

dicant presbyteri (*P.O.* 15 c). Quae oboedientia in hoc servitio describendo non plenam obtinet filialis amoris amplitudinem. Quae etiam dicenda sunt de paupertate quae ut voluntaria amplexanda in Concilio Vaticano II presbyteris et Episcopis instanter proponitur (*P.O.* 17).

Cuius doctrinae summa non habebitur nisi in semper magis conscia de consecratione vitae sacerdotalis per tria consilia assumenda et peragenda. Quae programmatica hodie videntur, ut norma generalis omnibus sacerdotibus recipienda exoptatur. Quae vitae consecratio vel individualis sit, vel in communione cum aliis facilius et novo charismate roborata, exerceatur. De hac inter presbyteros plura hodie habentur nova conamina. At remanet longum iter in Ecclesia peragendum, quod saepius novis videtur interrumpi propositis de sacerdotio viris coniugatis etiam in Ecclesia latina conferendo. Quae proposita a Summo Pontifice Ioanne Paulo II et quibusdam Episcopis clare et firmiter recusantur.

Quaestio ergo hic posita certo aperta remanet. Unum videtur in Ecclesia saltem latina firmiter, etiam lege canonica, stabilitum (c. 277 § 1) nempe de coelibatu sacerdotali, non iam, uti olim, lege ecclesiastica imposito sed ut dono a Deo peculiare facto, quod fideliter est servandum³⁰.

³⁰ Exhortatio apostolica post-synodalis Joannis Pauli PP. II' «*Pastores dabo vobis*» hoc sensu est perlegenda; in ea plura habentur, saltem prudenter proposita, quae huic conclusioni progredienter adducere possunt.

III

Tertia a pluribus, praesertim iunioribus, sequens ponitur quaestio: *Estne nova seminarii dioecesani figura prospicienda?*

Cui quaestioni respondent primo facta recentiora, immo et ulterius proposita et conamina nova. Multae sunt causae quibus apparet ratio diminutionis vocationum, tum ad sacerdotium dioecesanum, tum ad vitam sacerdotalem religiosam. At nemo negare potest adesse seminaria quae plures habent iuniores ad ordines sacros candidatos. Idem dicendum est de aliis Institutis religiosis, praesertim recentioris foundationis.

Quae seminaria ab ipsius Episcopi personam et influxum novam obtinent vitae formam, quae etiam externe maioris fiunt regularitatis et fervoris. Alia seminaria, etsi dioecesana, fiunt et internationalia ob qualitatem doctrinae spiritualis et theologicae in eis datae, immo ob ideale sacerdotale quod in his colitur et transmittitur.

Quae omnia, si varia in variis seminariis sunt iam actuata, omnibus attente sunt consideranda et examinanda, quae certo iuniores attrahunt et coadunant.

Iuniores ad sacerdotium etiam invitantur ex eo quod in dioecesi habentur sacerdotes dioecesani qui simul vitam Deo consecratam desiderant et sub forma fraternitatis vel unionis sacerdotalis dioecesanae, eorum approbante Episcopo, instituunt. Quae associatio clericalis, si iam proprio statuto definitur, ut privata primo in dioecesi admittitur, postea ut publica erigitur, immo coetus varios in aliis iam dioecesibus regionis vel nationis exsurgentes saepius coadunat.

Ex his novis in sacerdotio dioecesano vitae formis plura iam apparent: desiderium ministerii exercendi a pluribus iunioribus presbyteris etiam communis vitae formis coniunctis, vitae spiritualis non tantum individualis sed melius definitae et consociatae, etiam communibus normis in hunc finem determinatis et roboratis. Insuper his vitae fraternae formis tempus orationis, meditationis et reflexionis melius definitur et obtinetur. Quam vitam, uti dicunt, magis «contemplativam» exoptant quin sit monastica. Quae novae sacerdotalis vitae normae ab Episcopo dioecesano non raro, saltem tacite, approbantur, etsi ab eo non directe semper animantur.

Cum ipsum seminarium saepe saepius suam obtineat e doctrina in eo recepta et in praxim deducta propriam figuram, utiliter etiam in his seminariis de quibus locuti sumus, perspicenda sunt quatenus elementa doctrinalia explicite sed etiam aliquando implicite inculcantur.

Persona Episcopi dioecesani, uti videtur, maximi est momenti et ponderis, eo magis si ipse, praeter personalia suae activitatis sacerdotalis, plenior semper exponit presbyteri dioecesani missionem in ipsa sua dioecesi assumendam et promovendam. Quae omnia non abstracte sunt considerata sed concrete proponenda. Si talia fiunt, etiamsi necessario singuli Episcopi aliis succedant, remanet et acquiritur valida doctrina spiritualis et theologica de sacerdotio in dioecesi exercendo. Non sufficiunt opera et studia, quae iam sunt numerosa de ordine presbyterali edita, speculativa et theoria. Saepius etiam a iunioribus non iam leguntur ...

Non negligenda est in vita seminarii dioecesani Rectoris persona, eius exemplo expressa de vita sa-

cerdotali doctrina. Saepius in eo concrete exprimitur quod abstracte in quibusdam scriptis exponuntur.

Neque minor est influxus professorum, qui in eadem seminarii aede cum seminaristis vivunt. Qui etiam in quibusdam seminariis simul cotidie ad mensam cum eis communem, saltem unam, meridie vel vespere, conveniunt. Sed praeprimis est in seminario necessaria unitas doctrinae eiusque ad vitam pastoralem et sacerdotis activitatem recta applicatio. De qua unitate fiat oportet cum Episcopo et professoribus regularis collatio doctrinalis et practica.

Iam hodie apparet maximi esse momenti *annus propaedeuticus* de qua iam diximus, qui sit ad vitam sacerdotalem incipiendam introductio spiritualis etiam doctrinalis, immo et practica. Qui annus regulariter extruitur variis silentii et meditationis temporibus quae extra domum in solitudine transiguntur. Eorum hodierna experientia laudatur effectus positivus, fovendus et proseguendus.

Aduvat in vitam personalem iuniorum seminaristarum exemplum confratrum qui in seminario dioecetano coadunati suam tamen sequuntur propriam viam spiritualem, doctrinalem immo et apostolicam, qua in coetu vel motu ecclesiali ad sacerdotium progressive conducti sunt et formati. Quae si recta doctrina Ecclesiae sunt inspirata, non unitati sunt obstaculo sed profundiori vitae adiutorio.

Ut futurus sacerdos in seminario profunde efformetur, optandum est ut theologica doctrina tali modo exponatur ut clarius appareant revelationis divinae donum eiusque in fide viva receptio. Quae fides non est tantum mentis intellectualis receptio sed cordis contemplativa educatio, quae non fit sine oratione meditativa personali, cum Deo unitiva.

Saepius oratio nimis remanet suis ipsius examinatio, activitatis prospectio, defectuum et debilitatum recognitio. Quae, si non sunt ea omnia negligenda, non sunt in orando priora et maiora. Educatio ad orationem, si vere evangelica est, via fiat ad unionem cum Deo in eius laudem, immo et adorationem. Quae adoratio, si Eucharistica usualis est, fiat totius vitae in Trinitatis amore assumptio et continua filialis cum Christo unio ad Patrem in Spiritu Sancto. Trinitatis mysterium hucusque nimis ignoratur, quin in personali vita assumatur et in praedicatione vivo modo exponatur.

Quae omnia hic enuntiata, proposita et vota, non fiunt realia et vivida, nisi in seminario propria habeantur vita. Quae vita, si habeatur et immo ut habeatur, omnis dioecesis proprium obtineat seminarium. Experientia hodierna semper clarius perspicitur alia coniuncta seu communia seminaria hac spiritus unitate deficere, quae ad propriam dioecesanam identitatem fovendam et evolvendam, ut necessaria, recognoscitur et exoptatur.

CONCLUSIO

Ex dictis apparet momentum quaestionis de formatione futuri presbyteri, qui sit totaliter Deo et hominibus consecrati atque, etsi in Ecclesia particulari ministerio proprio dicatus, sit universalis totius mundi salutis in Christo sacerdos.

Episcoporum remanet maxima in hac materia responsabilitas, etsi eis adiutorio sint ipsorum iuvenum optata et quaesita.

In fine clarius perspicitur cur Codex in hac materia nimis iuridicus sit neque Concilii proposita plene assumat neque vitae progressui spiritualis correspon-

dere possit. In votis est ut, in parte de Christifidelium distincte agatur, si non in Codice, saltem in doctrina et schola, de unoquoque ordine personarum, i.e ministrantium, diaconorum, presbyterorum, immo et Episcoporum. Quibus ultimis, si dicta de clericis eis etiam applicanda sunt, alia sunt ipsius eorum vitae et missionis requisita in bonum totius Ecclesiae exponenda.

JEAN BEYER, S.J.